



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Theophili Raynavdi, Ex Soc. Iesv. Erotemata De  
Malis Ac Bonis Libris, Deqve Ivsta Avt Inivsta, eorumdem  
confixione**

**Raynaud, Théophile**

**Lvgdvni, 1653**

XIII. An in hoc ordine Rabbinici, Thalmudici, Calabistici libri?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11141**

aliis compluribus, nominatim à Ricardo, quem Demetrius Cydonius referente Volaterrano, in Græcum conuertit. Eum Nicolaus Cusanus vocat *Ricoldum*, & plus cæteris sibi placuisse ait, in *prologo sue*, ( vt inscribit, ) *cribrationis Alcorani*: quo etiam proficitur, autorem se fuisse Dionysio Richelio Carthusiano, vt opus quod de eo argumento edidit, elucubraret. Memorat præterea Cusanus, visum abs se opusculum Sancti Thomæ de rationibus fidei, ad Cantorem Antiochenum, & alium Cardinalis Sancti Sixti, Ioannis de Turrecremata. Ex recentioribus, Ludouicus Viues splendè & diligenter vniuersum hoc argumentum versauit *toto lib. 4. de verit. fidei*; vbi c. 15. bene examinat turpitudinem, & infamiam paradisi, in Alcorano propositi, de quo puncto disseruit etiam prolixè, & egregiè Gulielmus Parisiensis *lib. de legibus c. 19.* multa de autoris nequitia, & turpitudinibus prælocutus *toto c. 18.* Plurima item, & de autore, & de secta, Cantacuzenus *in orationibus & apologiis*, necnon Euthimius *tit. 24. panoplia.* item Ioannes Galensis & Albertus Vidmestadius contra Mahumetem.

## EROTEMA XIII.

*An Rabbini, Thalmudici, Cabalistici libri, sint  
censura percussendi*

**R**abbini libros in hoc ordine collocandos esse, persuadeor ex eo, quòd tametsi libri mali sunt, tamen vix noxij esse possunt, si lectori mens sit non læua, & ex præiudicata de eorum inanitate, & fabulositatibus crebris sententia, aduertat, vbi pedem, ( vt sic dixerim, ) figat. 347.

*Nani in scriptis Rabbiorum, Christo posteriorum.*

Quod Rabbiorum libros in se malos pronuncio, non de illis Rabbini, qui Christum antecesserunt, accipio; sed de iis, quorum extant libri. Omnes enim huiusmodi Rabbini, quorum extant opera, fuisse Christo posteriores, cum sæpè illatè populo Hebræo per Romanos cladis meminerint, censuit Bellarmin. *in opere de Scriptoribus, in calce tractationis de Scriptoribus veteris Testamenti.* Quanta verò peccent hi Rabbini, siue Scripturam interpretentur, siue somnia procudant narrationum, aut quicquid tandem scriptis committant, neminem latere existimo. Scripturas certè adèd crasse interpolant, verius, quàm interpretentur; adèd in sensus à plano alienos detorquent, vt nihil possit proferri indignius. Nec mirum. Habentes enim cor obcæcatum, & velamen super oculos oppassum, vt Apostolus monuit; studiosè quoque cauentes ne in Christum quem Scriptura vniuersa inclusum continet, quoquomodo incurrant; auertunt quanta possunt malignitate mentis oculos à sensu eius genuino, & vel in occidente litera sistunt, vel ad inconditas allegorias eam transferunt.



348. Quod si ante horrendum illud scelus, quo Iudæi dimitti à Deo, & in sensum reprobum tradi meruerunt, Philo vir ingenij perspicacissimi, & amoenissimi, usque eo tamen incondita interdum proposuit in Scripturæ interpretatione, ut iure D. Augustinus 12. *contra Faustum cap. 39.* prodiderit, inde apparere quantum intersit, utrum ad Christum referas omnia, an præter illum, quaslibet coniecturas quolibet mentis acumine persequaris; quanto minùs videri debet mirum, fædè obrorisse Scripturam, & circa eam ineptuisse, nepotes generationis pessimæ, abiectæ à Deo, nec relictos, nisi ut sint capsarij nostri, ac librarij, quod idem S. P. sæpè annotat? *Capsarios* dico, non interpretes; & *librarios*, non Doctores. Taceo mendacia atque figmenta perpetua; est enim Rabbinis proprium quarto modo, fabulari, & quæ nunquam fuerunt, eivntve unquam, tanquam vera proponere, adeò crassè ac stolidè, ut ne ingenij quidem mica prodatur in comminiscendo dextrè, & appositè, fingendoque probabiliter, & aptè ad persuadendum.

*Quatenus ferenda, aut non ferenda.*

349. Sunt igitur Rabbinorum libri in se mali, non tamen noxij, quia nemo est adeò bardus Christianorum, ut in tanta ab urdissimarum insulsiatum luce impingat, & stupiditati Rabbinicæ astipulari velit, cum Rabbinum à Christianis scitis despectere deprehendit. Quod si qui interdum Rabbinum, in Christianum nomen calamos strinxerunt, qua sunt in filios desertæ malè animata voluntate, *sagittæ paruulorum facta sunt plaga eorum, & infirmata sunt contra eos, linguæ eorum.* Frigent, inquam, eorum calumniæ, & tam retulis telis, vulnus altè adigi non potest: vel si alicubi impotentia mentis, fines veniabilis concitationis, in homine obcecato est prætergressa, tunc spongiam adhibendam esse, quæ, saluis cæteris, eam partem abstergat, nemo inficias iuerit. Quod item dicendum est de execrationibus, aut blasphemis in Christum, quibus nebulones perditissimi, impiè proscindunt quem parentes eorum confixerunt. Et hoc tantum probant, quæ pro extirpandis libris Iudæorum tradit Alphonsus de Castro *lib. 2. de iusta hæreticorum punitione c. 15. in fine.*
350. Quoad cætera quantumvis insulsa, & inania, eatenus commodare Christianis possunt Rabbinorum scripta, ideoque videntur non configenda, quatenus cum sint perspersa variis antiquis moribus per manus à Iudæis antiquioribus ad istos deriuatis, & explicationem contineant rituum multorum, aut proverbiorum ac formularum iam olim vigentium in ea gente, lux inde non exigua affundi potest variis Scripturæ locis, in quibus ritus illi, aut mores insinuantur, vel paræmiæ, aut formulæ usurpantur. Qua ex causa Sanctus Hieronymus *Apol. 1. aduersus Rufinum*, ait Origenem, Clementem, & Eusebium, Rabbinos lectitasse, & eorum interpretationes non semper esse aspernatos. Quod de seipso quoque prodir *in cap. 2. Nabum*, Idem à posteris factitatum. Sic enim Caninius, ex Iudæorum vsu, pleraque noui Testamenti loca, est cum laude interpretatus. Lyranus ex iisdem profecit persæpè, necnon Burgenfis, Eugubinus, Oleaster, & alij Hebraizantes, itémque Galatinus in opere de arcanis Catholicæ veritatis.

Et:



Et ut omnis alia abesset utilitas, illa tamen semper suppetet non exigua, quod cum Rabbiorum ineptiis temporis partem aliquam iuuat concedere, summa stupiditate eorum perspecta, & causa tantæ rudiratis quæ neminem latere potest, annotata, afficiuntur multo magis ad nostra, & in Christum lucem, & sapientiam nostram, ac debemus animamur.

Tandem quod aiebam, Rabbios esse captarios, & librarios nostros, usum non modicum, vel ab inuitis in rem nostram, extare ex eorum libris, demonstrat. Attestantur enim veritati Euangelicæ, iis libris vtrunque interpretandis, in quibus res Christianæ tanto antè sunt prænunciatæ. Ita sapè S. Aug. ac nominatim *lib. 1. de consensu Euang. cap. 14. & serm. 32. de temp. & 67. de diuers. & in Psalm. 40. & rursus in 56. ad. vers. 4. & epistola 59. ad q. 2. ac. 18. ciu. c. 46.* Essequè in hunc finem per totum orbem dispersos Iudæos, sic scribit *serm. 1. ex 40. nouis.* [Iussit Imperator Romanus, iam Christianus, ut ad ipsam Ierusalem non accederent Iudæi. Et sparsi per orbem terrarum, facti sunt quasi custodes librorum nostrorum; quomodo serui, quando eunt in Auditorium domini ipsorum, portant post illos codices, & foris sedent; sic seruus factus est filius maior, filio minori. Nam aliquando mouent nos aliqua in Scripturis, & de Iudæorum codicibus, certi aliquid cognoscitur. Ideò ergo sparsi sunt, ut nobis libros seruent. Maior ergo minori seruit.] Iussam Imperatoris Romani iam Christiani, est edictum Constantini Magni, memoratum à Chrysostomo *homil. 3. contra Iudæos*, quo miseri Iudæi urbem Hierusalem contra interdictam instaurare aggressi, amputatis auribus multati, & in varias oras sparsi ad cæterorum terrorem, nobis insuper in librarios atque captarios sunt facti.

Nec dissimiliter de Iudæis statuunt, S. Iustinus *in paranesi, circa medium*, S. Chrysost. *in Psalm. 44. initio, & in Psalm. 8. & hom. de Cruce, media Quadragesima, sub finem.* Non sunt ergo omnes Iudæorum, & Rabbiorum libri per omnia explodendi. In quam rem legendus Mariana *opusc. pro edit. vulg. cap. 27.*

#### Quid de Thalmudicis libris statuendum.

Thalmudicorum librorum eadem esse ratio posset quoad Christianos, si per maiores liceret. Sunt enim Thalmudici libri, quasi Pandectæ iuris Iudæici, cum Ciuilibus, tum Pontificij, & sacri. Itaque Iudæorum instituta, ritus, & leges, his libris continentur; possuntque proinde non modicè ad Scripturæ intelligentiam commodare. Dissertunt de horum librorum varietate, & partitione, initiisque, ac progressionem, (non enim omnes vno tempore sunt conscripti,) de autoribus insuper, & argumentis, quæ quisque eorum profecutus est; varij Recentiores, nominatim Genebr. *lib. 3. Chronol.* Serarius *lib. 1. de Rabbiis, cap. 14.* Sixtus *lib. 2. Bibl. v. Traditiones seniorum.* Petrus Gregorius *lib. 12. de Rep. cap. 5.* Galatinus *lib. 1. de arcanis cap. 5.* Hos libros, sanè in se malos, ob multam mendacitatem, & fabulositatem, multa legi naturæ, & morum honestati contraria, quorum indiculum confecit Sixtus Senensis *lib. 2. Bibl. v. Traditiones seniorum*, Petrus Alphonsus *in Dialogis*, (hunc lectione Thalmudis, tot in eo notatis absurdissimis impietatibus, factum Christianum,

Cc 3; notat



notat Turrrianus *lib. de permittenda Iudæis sola lectione legis & Prophetarum*, ) ac Hieronymus à S. Fide  *toto lib. 2. contra Iudæos*, & Finus *lib. 9. flagelli à cap. 5. ad 21*. Ob eas tamen quos dixi commoditates, & quia vix Christianis nocere possunt, referendos dixi in hunc ordinem; dummodò quod circa Rabbinos notabam, resercentur quæ æstus inuidiæ ac furoris, pecoribus maledicentissimis in Christum, ac Deiparam, noménque Christianum blasphema, & execranda extorsit. Ea verò maximam partem non primis librorum Thalmudicorum autoribus exeidisse, sed à progenie vitiosiore per malignitatem in dies auctiorem infarta esse, argumento est, quod nouæ horum librorum editiones, locupletatæ huiuscemodi accessionibus, semper prodierint. Sic ergo emaculatos, & ad primam statum reuocatos libros Thalmudicos, spectata solùm rei natura, censuerim posse subduci damnationi.

*Seuera de Thalmudicis scriptis iudicia.*

353. Aduersari non paucis Pontificum decretis videbimur, nisi attentum lectorem, & eorum, quæ præmissimus, memorem, nanciscamur. Gregorius namque IX. referente Bernardo de Luxemburgo, libros Thalmudicos igni addixit anno 1230. S. Ludouicus Rex Galliæ, idem fieri iussit anno 1239. vt scribit Thomas Cantiprat. *lib. 1. de Apibus cap. 7.* addita narratione insignis diuinæ vindictæ in Archiepiscopum, qui pecuniis corruptus, vt libri Thalmudici Regio edicto ignibus adiudicati, subducerentur exitio, & Iudæis redderentur, autor fuerat. Sed flagellato pestilente, esse innouatum edictum, & magno numero combustos fuisse libros Thalmudicos, addit Cantipratanus: qui libros Thalmudicos Iudæis Orientalibus abominationi fuisse prodit, vsque aded, vt hæreticos & excommunicatos reputarent Iudæos Occidentales, qui contra legem Mosis ac Prophetas, Thalmudicos libros recipiunt & exscribunt. Hæc Cantipratanus, occasione Gallicanæ censuræ in hos libros. Innocentius item IV. anno 1244. *constitut. 41.* libros Thalmudicos in Galliis conquirendos, & comburendos edixit. Id quod antea sub Gregorio IX. Cancellarius Parisiensis de sententia Magistrorum curauerat. Gregorij, & Innocentij edictum renouauit Iulius III. *constit. 46. anno 1553.* intentatis in retinentes hos libros, grauibus pœnis, & iis ipsis, quæ à fide deficientibus sunt constitutæ. Reuclinum, quòd apud Maximilianum Cæsarem egisset, vt libri Thalmudici ab igne eximerentur, pessimè audisse, & ægrè nomen indemne seruasse, testatur Conradus Brunus *lib. 6. de hereticis, cap. item 6.* Insistens anteriorum Pontificum vestigiis Paulus V. anno 1559. ad exustionem librorum Thalmudicorum, vt & vetitæ lectionis essent, primus adiunxit.

354. Eo anno è Cremonensi Iudæorum Bibliotheca, duodecim millia Thalmudicorum voluminum ignibus consumpta esse, restatur, qui se affuisse insinuat, & indicem eorum repræsentat; Sixtus Senensis *lib. 2. Bibl. v. Traditiones semiorum.* vbi etiam exhibet breuicolum blasphemiarum in Deum, ac Christum, impietatum quoque in Sanctos veteris Testamenti, & in legem Mosis, ac legem naturæ; tandèmq; præcipuarum quarundam superstitionum, ac fatuitatum, quibus libri Thalmudici perspersi sunt. Inde stirpitus eradicandos esse huiusmodi libros, conténdit Sixtus, grauiter incusans Galatinum, qui Thalmudicos libros



libros commendat, Christianis *lib. 1. de arc. c. 7.* Verùm adhibuerat restrictionem Galatinus *in fine capituli*, quæ premenda non fuerat; nempe vt in iis tantùm probarentur Thalmudici libri, quæ in eis sunt bona, & innoxia. Itaque non commendat impietates, quas in libris illis damnat Sixtus.

*Aptantur ad resolutionem propositam.*

Hæc non me dimouent de sententia, qua libros Thalmudicos, quoad Christianos, negauit hoc tempore videri configendos. Sed tantùm deterfa quibusdam locis blasphemiarum in Christum, & Christianum nomen terra admittione, purgandos esse; in reliquis arbitrio lectorum, qui esse vix possunt, nisi periti, quibus proinde damni ab hac lectione periculum non impendat, permittendos videri. At Pontifices, qui hos libros ignibus addixerunt, Iudæos ipsos spectarunt, quorum erat tunc temporis numerosior cœtus: & non pauci Christianismum facilius cogitassent, nisi ea lectione, & præsertim falsis in Christum, ac Christianos criminibus, quæ ibi leguntur, obfirmati fuissent in errore. Idque verissimum esse, fusè confirmat Turrianus *lib. de sola legis lectione Iudæis permittenda.* Accedit quòd eorundem librorum lectione, Iudæi ad fœda pleraque, immò immania, contra ius naturæ, & humanæ societatis leges, impelluntur: à quibus malis eos auertere, interfuit Christianæ potestatis, præsertim eius, quæ suprema est in Ecclesia, non modò, quia obnoxij sunt ei temporaliter plerique Iudæi, sed etiam, quia vbiuis in Christiano orbe, peccata per se, vel per alios intercludere, pars est illius sollicitudinis omnium Ecclesiarum, quam ei summam, & plenam credidit Deus. Tandem opprobria in Christum, & blasphemias in Deum voces, ab iis, qui inter Christianos degunt, impunè fundi, iniustissimum foret. Itaque meritò in libros Thalmudicos animaduersum est, quoties per audaciam gentis attrita, sed non reuersa ad cor, semina odij, quo in Christum & Christianos flagrant, iis conuitiis & probriis augendis, & ad lucem iteratò vocandis repullularunt. Vt autem Christianis horum librorum vsu interdiceretur, non tulit mens Pontificum. Et, vt aliàs fortassis tulisset, nunc tamen mutatis circumstantiis, mollitus est rigor ille, quod ex Romano Indice expurgatorio Clementis VII. autoritate edito, anno 1595. liquet, in quo vsus horum librorum per Paulum IV. simpliciter damnatorum, ac ferè etiam per ipsum Clementem VIII. in constitutione anni 1593. seruatis iis, quas adhibuimus, temperationibus, indulgetur.

*Libri Cabalistici antiqui, puri, & probandi.*

Restant Cabalistici libri, quo nomine intelliguntur propriè libri illi quibus continetur doctrina diuina, non scripto primùm, sed voce duntaxat tradita, & aliquamdiu voce transmissa ad posteros. Vt enim Simon Iudæus exponit apud Reuclinum *lib. 1. de arte Cabalistica*, Cabala Hebraicè dicitur *receptio*, & subdit. [Est enim cabala, diuinæ reuelationis ad salutiferam Dei, & formarum separatarum contemplationem tradita, symbolica receptio; quam qui cælesti]



lesti fortiuntur afflatu, recto nomine *Cabalici* dicuntur; eorum verò discipulos, cognomento *Cabaleos*, appellabimus; & qui alioquin eos imitari conantur, *Cabalistæ* nominandi sunt, perinde atque circa editos illorum sermones quotidiano labore defudantes. ] Habes *Cabalistarum* à *Cabaleis*, & *Cabalicis*, distinctionem, & *Cabala* notionem. Longam seriem & successionem Cabalitorum primum, dein Cabaleorum, tandem Cabalistarum, texit Reuclinus sub medium eiusdem libri primi; vbi etiam ait, nomen *Cabalistarum* qui *Mekablim* Hebraicè dicti, primò esse donatum latio, à Ioanne Pico Mirandola.

357. Est ergo Cabala doctrina per manus recepta, cuiusmodi apud nos est *doctrina sacrarum traditionum* à Christo, & Apostolis verbo tenus Ecclesiæ commissa. Apud Hebræos autem non est dubium, quin Moses Legislatores, de plurimis edoctus diuinitus sit, quæ sacris scriptis non sunt consignata. Et tamen ad posterum per vocem sunt transmissa, vt agnoscunt Origenes hom. 5. in Numeros, ad illud Rom. 3. credita sunt illis eloquia Dei; (vbi eloquia fecerunt à Scripturis.) Itemque Anatolius Christianus Doctor perantiquus, apud Euseb. 7. histor. cap. 28. ac S. Hilat. in Psalm. 2. verbis illis, [ Ex tot iam à Mose ante quàm is veteris Testamenti verba in literis condidisset: tamen separatim quædam ex occultis legis secretiora mysteria septuaginta senioribus, qui Doctores deinceps manerent, intimaerat. Cuius doctrinæ etiam Dominus in Euangeliiis meminit: *super Cathedram Moysi*, (inquit) *sederunt scribae & Pharisei; omnia ergo quaecumque dixerint vobis, seruate, & facite: secundum verò facta eorum, nolite facere.* Doctrina ergo horum in posterum, quæ ab ipso scriptore legis accepta, in hoc seniorum, & numero, & officio conseruata est. ]

358. Hæc igitur est quàm dicunt *Cabalam*, & libri quibus ea à Mose non scripta continentur, *Cabalistici*, vt plenius exponit Ioannes Picus q. 5. *Apologia*, & Serarius in cap. 10. *Iosue quæst.* 2. Sic accepti libri *Cabalistici*, non sunt confixione digni, vt est per se perspicuum. Nihil enim continent aliud, quàm legis scriptæ interpretationes puras, & nitentes, itémque maiorum consuetudines, ritusque, & vsus in populo Israëlítico receptos anterioribus ætatibus. Videnturque huc spectare quæ dicuntur 4. *Esdræ* cap. 14. initio, & versu 45. & 46. *Altissimus dedit intellectum quinque viris, & scripserunt, quæ dicebantur excessiones noctis, quas non sciebant. Nocte autem manducabant panem, ego autem per diem loquebar, & per noctem non tacebam. Scripti sunt autem per 40. dies, libri ducenti quatuor, & factum est cum compleuissent 40. dies, locutus est Altissimus, dicens: Priora, quæ scripsisti, in palam pone, & legant digni, & indigni. Nouissimos autem Septuaginta, conseruabis, vt tradas eos sapientibus de populo tuo. In his enim est vena intellectus, & sapientia fons, & scientia flumen.*

*Infarta in Cabalam à Rabbiniis, succidi digna.*

359. At hoc merum, Rabbini variis affusionibus diluerunt; caupones profectò non boni, vt rectè pronunciauit de hac Cabala Sixtus lib. 2. *Biblioth. v. Esdras.* Eiusmodi est, quod de lege in igneo globo scripta, eiusque literis variè postea permutatis comminiscuntur. Item quod de 72. Angelis, fingunt. Præterea quod



quod de mirabilibus, per certos characteres, ac voces edendis] fabulatur apud Reuclinum *lib. 3.* quem Genebrardus *lib. 2. chronologia*, his nugis, & commentis prodendis, sine confutatione, earum se constituisse patronum; eique astipulatos esse Paulum Riccium, & Ioannem Picum, demiratur: addens hanc verè esse vanam artem circa literarum apices, numeros, transpositiones, anagrammatismos, allusiones, amphibologias, vocum inuersiones languentem; à Marco, & Colarbaso, Valentini discipulis, vt est apud S. Irenæum *lib. 1. cap. 9. & 10.* & ab aliis Gnosticis, referente sæpè S. Epiphanio, vsurpatam ad suorum commentorum confirmationem, per Græci Alphabeti literas. Recensent libros huius furfuris, Petrus Gregor. *lib. 17. de Rep. cap. 5. num. 2.* Reuclinus *lib. 1.* & Andreas Mafius *in calce commentariorum in librum Iosue*. Quid quoddam his nugamentis abusi sunt aliqui, ad diuinationes, & Prophetiæ famam, cum scelere aucupandam? Refert id Scaliger *exercit. 355. in Cardanum*. Quædam præterea occulta Dei nomina apud se extare mentiuntur, quorum ad præstigias, & ad ligandos Dæmones, aliæque, de quibus Delrio *lib. 1. Magicor. cap. 4. q. 3.* vsum esse illustrem, celebrant; iisque compertis, Christum patrasse miracula quæ edidit, stultè affirmant, vt ex eis refert Sixtus *lib. 2. verb. Esdras*. Produuntque etiam alij, quos refero *in Natur. Theol. dist. 5. num. 199.* Hinc ars notoria, interdum legitur vsurpata pro magia. Est quidem *notoria*, præcisè spectata primigenia impositione nominis, scientia notatum, siue compendiaræ per notas scriptio- nis: vnde *notarios* dictos, obseruat S. Aug. *2. doct. Christ. cap. 26.* Tamen abusus notoriæ. (quæ, vt mox dicam, pars est Cabalisticæ inertæ, ad res Magicas, quales paulo antè proposui ex Iudæis,) effecit, vt duo illa nomina, confusa interdum fuerint, & promiscuè vsurpata.

*Triplex Cabalistica negotiatio, extra noxam.*

Sic igitur in hac re statuendum videretur. Libri *Cabalistici* propriè dicti, quos priore loco proposui, à confixione immunes esse debent, & haberi in pretio. Alij multa expurgatione egent, vt adiunctæ superstitiones, & magicæ mixturæ amoueanur. Quibus tamen recisis, cætera ad ingenij exercitacionem valere possunt, & iam olim sine noxa sunt vsurpata. Hoc vt patefiat, distinguenda est cum Genebrardo loco allegato, triplex huius *Cabala* negotiatio. Primam Cabalisticæ, per ignorantiam vocant *Geometriam*, cum dicenda fuisset *Arithmetica*; expendit enim literæ numeros. Secunda dicitur *Noteriacon*, à *notis*, siue, (vt loquitur Imperator *tit. de verbor. sign.*) captionibus signorum, & compendiosis ænigmatibus, quæ librarij consecrabantur compendij gratia, vt apud Ausonium *Epigr. 137.* & apud Martialem *lib. 14. Epigr. 206.* Sed & sydus Virginis considerans Manilius, & natum sub eo notarium describens, sic ait *lib. 4. Astronom.*

*Hic & scriptor erit felix, cui litera verbum est,  
Quique notis linguam superet, cursumque loquentis,  
Excipiens longas noua per compendia voces,*

Tenera ætas docebatur hæc scribendi compendia, vt constat ex Prudentio describente S. Cassiani martyrium *hymno 9. peristeph.* Ait enim de S. Cassiano.

*Præfuerat studiis puerilibus, & grege multo*

D d

Sopium,

360.



*Seplus, magister literarum sederat.*

*Verba notis breuibus comprehendere cuncta peritus,*

*Raptimque punctis dicta prepetibus sequi.*

Et mox præfecto pœnas noxiis decernenti, quod genus artis factitaret Cæsarianus, interroganti,

*Respondent, agmen tenerum ac puerile gubernat*

*Fictis notare verba signis imbuens.*

361. Inuentas à Tullio huiusmodi notas, sunt qui prodant: eoque nomine liber de notis Ciceronianis, perperam S. Cypriano adscriptus, habetur. Seneca epistola 90. hæc signa verborum, (vt vocat Symmachus lib. 3. epist. 17. & S. Hieronym. epist. de suspecto contub.) quæ epist. 44. ad Principiam, signorum compendia, vocat, vilissimis mancipiis inuentoribus attribuit. Tyronem verò Tullij libertum notas excogitasse, quibus non iam vnum verbum, sed integræ sententiæ exhiberentur, scribit Eusebius in Chronico. De variis circa has notas, antiquis artificijs, deque multiplici alia significatione Notorie, vel Notarie, (vtrumque enim dici potest, vt notat Iuretus infra,) videndi qui ad id plurima congerunt, Lælius Bisciola tom. 2. subsec. lib. 2. cap. 12. ac Iuretus ad lib. 10. Symma. epist. 38. nec non Lipsius centur. 1. ad Belgas epist. 27. & ex variis præsertim Iurisperitis, Caluinus in lexico. Sed supra omnes Blasius Vigenere, eruditissimo opere de Notis, præsertim à pag. 145. Tertia Cabalæ negotiatio est, qua literæ permutantur, & vna pro alia substituitur. Proferamus triplicis huius negotiationis exempla quædam, planè innoxia, & prorsus vacua suspitione admisionis nefarij pacti.

*Prima expendentis elementarios numeros, exempla quadam.*

362. Primæ negotiationis exemplum, habemus Apocal. 13. verbis illis, *Qui habet intellectum, computet numerum bestie. Numerus enim hominis est, & numerus eius 660.* Videtis ibi interpretes, & Bellarminum lib. 3. de Pontif. cap. 10. ac Feuard. ad lib. 5. S. Irenæi, cap. 30. Sed plenissimè Florimondana lib. de Antichr. cap. 20. & seqq. Leguntur item pleraque similia apud Epiphanium heresi 34. Sed & Sibylla quædam, vt habetur lib. 1. Oracul. prænucciavit, numerum nominis Christi venturi, esse 888. qui numerus literis Græcis nominis *I E S V*, habetur expressus. Et eorundem Oraculorum lib. 2. dicitur nomen *Adami* tetragrammaton, quatuor initialibus literis, totidem mundi cardines designare: quod refert quoque S. Cypr. lib. de Sina, & Sion; nec improbat S. August. tract. 9. in Ioann. Rursus tract. 10. sub finem, suppedirans alterum exemplum in rem nostram. Nempe numeri annorum ædificationis Templi, qui expressus habetur in numero dierum, quibus Christi corpus in utero Virginis absolutum est, vt exhiberi ait numeris quos signant literæ nominis *Adam*.
363. Epitaphium Ioannis Episcopi Nepesini, cuius nota aui per literarum partim Latinarum, partim Græcanicarum, elementa consignatur, huius artificij systema continet, quod iuuat adscribere. Extat Romæ in Monasterio S. Sabæi incisum marmori.



*Hoc humata iacent Ioannis membra sepulchro,  
 Qui Nepe fuerat Praesul in urbe quidem.  
 Ne Nepe sana sibi noceat, succurre Redemptor.  
 Et qua contraxit crimina, parce Deus.  
 Nempe loco sancto voluit sepelirier isto,  
 Quo per hos sanctos inueniat requiem.  
 Extensum per Θ. Ρ. Q. E. Δ que nexa.  
 Christi annum monstrant, quo transit iste Sacerdos.*

Θ 9. Ρ 7. Q 500. E 250. Δ 4. fiunt anni 770.

Ad hoc genus numeri quod in defuerudinem abiit, dignoscendum cum in antiquis scriptis occurrit, ponitur haec tabella.

500. A	300. B	110. C	500 D	
250. E	40. F	400. G	200. H	100. I
150. K	50. L	1000. M	900. N	11 O
7. P	500. Q	80. R	7. S	160. T
5. V	10. X.	159. Y	2000. Z.	

Eadem sequentes versus expriment, iuxta Valerium Pobum, Petrum Diaconum, & alios, qui de antiquis Notis scripsere. 364.

*Possidet A numeros quingentos ordine recto.  
 Et B tercentum per se retinere videtur.  
 Non plus quam centum C litera fertur habere.  
 Litera D velut A quingentos significabit.  
 E quoque, ducentos & quinquaginta tenebit.  
 Sexta quaterdenos gerit F qua distat ab alpha.  
 G quadringentos demonstratiua tenebit:  
 H quoque ducentos per se designat habendos.*

D d 2

I C



I C compar erit, & centum significabit.  
 K quoque centenos, & quinquaginta tenebit.  
 Quinquies L denos numero designat habendos.  
 M caput est numeri, quem scimus mille tenere.  
 N quoque nongentos numero demonstrat habendos.  
 Vndenos facit O cognosceas sic numerando.  
 P similem cum S numerum monstratur habere.  
 Q velut A cum D quingentos vult retinere.  
 Octoginta dabit R si quis eam numerabit.  
 S verò septenos numeratos significabit.  
 T quoque centenos & sexaginta tenebit.  
 V verò quinque dabit tibi, si rectè numerabis.  
 X duplex denos, numero tibi dat retinendos.  
 Y dat centenos, & quinquaginta nouenos.  
 Ultima Z canens finem, bis mille tenebit.

Huc item spectant versus *יבן שפן*, quorum omnes literæ pro numeris acceptæ, eundem numerum reddunt. Qua item ratione lusum quandoque est in nominibus; sic enim *lib. 2. anthologia*, habetur salitum Epigramma in quendam Damagoram, cuius nomen cum Græco *pestis* nomine *λοιμὸς ἰσὶν Ἰσφορ*, vt Muretus *lib. 14. var. cap. 13.* vtriusque nominis literis, & signatis per literas numeris, expressis demonstravit. Æquè *יבן שפן* esse apud Hebræos, nomina *Espher*, & *Susanna*, notavit Hermannus Hugo *lib. de prima scribendi origine. cap. 28.*

*Exempla secunda negotiationis Cabalisticæ, Noteriacæ.*

365. Secundæ negotiationis Cabalisticæ exemplum profert S. Hieronymus. *in traditionibus Hebraicis ad lib. 3. Reg. ferè initio*, vbi docet, maledictionem qua Semei appetiit Davidem, fuisse dictam *pestimam*, Hebræa voce *Nimretseh*, quinque literis compacta; quarum quælibet vsurpatur pro integra dictione, ab ea litera initium ducente, & probrosissimæ significationis conuitium ferente. Pertinet huc quoque quod de Marco, & Colarbaso his verbis scribit Tertull. *lib. de prescript. cap. 50.* [ Non defuerunt, (inquit,) post hos, Marcus quidam, & Colarbasus, nouam hæresim ex Græcorum alphabeto componentes; negant enim veritatem, sine istis posse litteris inueniri: immò totam plenitudinem, & perfectionem veritatis, in istis litteris esse dispositam. Propter hanc enim causam Christum dixisse, *Ego sum, &c.* Denique Christum descendisse, id est, columbam in Iesum venisse, quæ Græco nomine quum *ἄετρεβ* pronuncietur, habere secundum numerum, o c c c r, percurrunt isti  $\omega, \varpi, \chi, \phi, \sigma, \tau$ , totum vsque ad alphabeta; & computant, ogdoadas, & decadas, ita vt afferre illorum omnes vanitates ineptum sit, & otiosum; quod tamen non tantum iam vanum, sed etiam periculolum sit. ]
366. Referunt eodem militarem Iudæ tesseram, ex qua *Machabæus* dictus est, Sixtus Senensis *lib. 1. biblioth. sect. 2. tit. de libris Machabæorum*, & Baron *in Notis ad Martyrol. Rom. die 1. Augusti.* Aiunt igitur, Iudam prælio congressurum

cura



eum Antiocho, dedisse militibus suis, cen belli tesseram, eam Mosis sententiam Exodi 17. *Quis similis tui in fortibus Domine?* Quæ Hebraice effertur quatuor nominibus, quorum initiales literæ respondent nostris latinis M. C. B. I. Hoc certum victoriæ omen, cum vexillis omnibus ordinum per eas quatuor literas inscribi iussisset Iudas, & vulgus militum breuitatis gratia, ipsas initiales quatuor literas in vnam dictionem constatas pro tota tessera pronunciare cœpisset, inualuit pederentim vsus, vt huius tesserae autor Iudas, eiusque posteris, *Machabei* cognomine donarentur.

Huc item pertinet Siropha Photij, vt iteratò in thronum Constantinopolitanum inuolaret. Rem narrat hoc modo Constantinus Manasses *in annal. num.* 205. Mortuo S. Ignatio, inhians denuò Bizantinæ cathedræ Photius, solas priores literas nominum Imperatoris, liberorum eius, & Augustæ sumit; atque inde *Beclas*, componit. Ex his, inquam, nominibus *Basilium ἐλέην, Constantinum, Leo, Alexander, Stephanus*. Eo nomine per Photium exposito, viris illius ætatis eruditione præstantibus frustra conatis exponere, visus est Imperatori Photius, magnæ doctrinæ, & eruditionis reconditæ vir: proindeque eum denuò in thronum Patriarchicū restituit. Sic benè Euirato illi cessit negotiatio hæc literaria, & paucarum vocum, abscissis primis clementis quasi capitibus, detruncatio. Non dissimili sagacitate Thessalonicensis Episcopus, ter audita voce & *Μάρτυρ*, sic eam est interpretatus, *Μιχαὴλ ἀπὸ τῶν Ρωμῶν Παλαιολόγος ὁ ἔως ὑμῶν ἵσταται*. *Michael Emperor Romanorum, Palaeologus, cito celebrabitur*, & ità contigit.

367.

Quidni verò formatas quoque, id est, obsignatas siue sigillo munitas, & vt S. Bernardus *epist.* 230. loquitur, *bullatas litteras*, ex antiquo, & receptissimo olim vsu Nicænæ Synodi, hac arte confectas dicemus? Assumebantur prima Græca elementa, *Parris, Filij, & Spiritus sancti*, ω, υ, & α. Petri quoque Apostoli prima litera ω, vt esset nota Catholicissimi. Illius qui scribebat Episcopi, prima litera. Alterius ad quem scribebat, secunda; accipientis tertia; vrbs è qua scribebatur, quarta; & numerus Indictionis. In fine apponebatur *εἰμυ*. Videtis diligentius vniuersum hoc artificium formatarum explicantem Sirmundum *ad lib. 6. Sidonij, epistola 8. Baronium anno Christi 142. & 325. Pamelium in librum Tertulliani aduersus Praxeam num. 10. Hermannum Hugonem lib. de literis, & Franciscum Bernardinum Ferrarium tractatione de epistolis Ecclesiasticis, quas tribus libris complexus est.*

Nonnulli literas illas S. P. Q. R. queis Senatus populûsque Romanus, iam olim expressus putatur, ad aliud primò relatas, per hanc artificiosam abbreviationem ferunt. nempe ad factum Sibyllæ, quæ in ærea lamina inscripserat eas literas, vt significaret, *Salua populum quem redemisti*, quod Senatus Populûsque Romanus ad se malè detorserit, vt scribit Corrasius *5. miscell. cap. 15. num. 5.* Benè varios huius artificij modos seiunxit Sancius *in cap. 5. Danielis*. Non egi hoc loco de notis hieroglyphicis, (sic enim loquitur Ammianus *lib. 17.*) neque enim sunt notæ per literarum compendia, sed per effigies & figuras: siue animantium, vt videre est apud eundem Ammianum *lib. 22.* Tacitum *lib. 11. Annal.* Apuleium *11. Metam.* Cassiodorum *3. var. epist. 51.* siue aliarum rerum, cuiusmodi figurarum Ægyptiacarum mentio est apud Socratem *lib. 5. cap. 17.* & Suidam *v. σωπον*. Similes fuisse literas Athiopibus,

368.

Dd 3 quos







Angustias, optant Regis hereditatem, observant, nec detrectant obedientiam Archiducibus suis. Supremus Dux exercitus Bohemorum utilis in Imperio Romano, circumspectus in profligandis hostibus, Mansfeld Comes legitimus nunquam spurius, maluit stare in bello, quam turpiter fugam dare. Holloer Bohemos caput deterrere, simulans haud volens noctu cedere Rudolffstat: hinc praelio inuicti Bohemi non priuatam rem curant; praestant repromissa, nec gerunt pectore aliud; corde sunt sinceri nunquam mens illis alia; fidere securum his, non defraudabant patriam, probum, nihilque iniquum est quod agunt, & aiunt: student aequalitatem in omnibus seruare Bohemi, Venietur vos directores, non spe vestra frustrabimini: defensuum, non offensuum geritis bellum, ideoque durabit perpetuo factorum vestrorum memoria; neque premium fama vobis denegabitur. Felices; directoratus vester semper stabit, neque Regis amore priuabimini: consequemini totius Europa gratiam, atque nominis immortalitatem, nec incurretis crimen perduellionis, atque rebellionis. Quare causa vestri colendi, non minima vobis est data, perspecta mundo vniuerso vestra probitas, non error: integritas, non fucus; hinc aestimatis pluris bonam conscientiam, quam Machiuellisticam scientiam. Imperio Romano, & Imperatori, & Electoribus bene, haud male prospicientes. Bilingues, Bircordes, Biuolentes alij, non vos Bohemi. Altaria Dea erigitis, non eruitis. Idcirco mercedem simplam non duplam capitis. Omnia iure, non iniuria decernitis. Charius vobis aliena reddere, quam perdere: dare, quam fraudare; satius est iniuriam vobis ferre, quam inferre; melius vindictam ipsi tuleritis, quam aliis intuleritis. Ferdinando primo Rege, Bohemi steterunt, non corruerunt. Ferdinando secundo Rege stabunt, non corruent. Di vos saluent, non perdant: recte fecistis, non errauistis, Bohemi.

Mutatis dumtaxat commatis ac punctis, permutatio vocum sursum versus facta, recurrendo à fine totius enclitici ad Principiū, sensum omnino contrarium efficit hac ratione. Bohemi errauistis, non fecistis recte: perdant, non saluent vos Di, &c. Apud Petrarcham est eiusdem formae epistola 39. & vltima in libro variarum, cuius initium est, *Iucunda ipsa*, quae à summo lecta, laudationem continet, ab imo resumpta, & cancri in morem retrograda, infert vituperationem.

Huc spectant versus *ἠναρῶν*, siue retrogradi, aut recurrentes, quorum duplex genus facit Sidonius lib. 9. epist. 14. pro recurso scilicet, vel literarum, vel vocum. Horum qui literis reoccurrunt, exempla perplura proponuntur in Anthologia lib. 6. Ibidemque Brodæus profert illud protitutum,

*Signa te signa, temerè me tangis & angis:*  
*Roma tibi subito motibus ibit amor.*

Eiusdem farinae est retrogradum carmen de Caluis, praefixum poematio de laude caluorum, cuius omnium vocum initialis litera, est C.

*Caluitio tua si ridentur tempora nudo,*  
*Carminè do galeam nunc tibi compositam.*  
*Hac capiti imposta, mordaces despicè linguas.*  
*Spicula contorquens non nisi conuittij.*  
*Hanc timet Archilocus: (miraris,) sidera cedant*  
*Aquora, serpentes, cum styge carminibus.*

Retrò

371.

372.



Retrò,

*Compositam tibi nunc galeam do carmine nudo.  
Tempora ridentur si tua caluitio.*

& ita consequenter.

Leonem V I. Imperatorem Orientis, his ( vt Diomedes *lib. 3. vocavit,* ) curiosis otii dedisse operam, scribit Sirmondus ad dictam epistolam 14.

Eorum verò versuum, qui vocibus recurrunt, & à Diomede, Seruio, ac Victorino *reciproci* vocantur, à Græcis autem dicuntur *ἀντιπροσώρτες*, id est, *conuersibiles*, disticha octo, in exemplum proponuntur in Anthologia *lib. 6. ex Nicodemo Heracleæta*. Pluraque de iis habent Scaliger *lib. 2. Poëtices cap. 30.* Sirmondus *suprà; & ad lib. 8. epist. 11.* Recurrentes, & retrogrados pro iisdem habet Ludouicus Viues *ad librum 17. Ciuit. cap. 15.* vbi etiam causam aperit, cur id genus carminis *στροφικόν* sit dictum, & à Martiale *Cinædum*. Reperiuntur insuper aliqui versus utroque proposito modo retrogradi, qualis ille,

*Ecce seges suberis, tot si rebus, seges ecce.*

Confecit operosum hoc carmen, Andreas Mestralus, cuius de omni generis Græcis, & Latinis retrogradis carminibus, accuratam, sed *peffimam*, ( vt cum Sapiente dicam, ) hoc est, *operosissimam occupationem*, exhibet eius opus cum Auenione anno 1623. Accipe præterea artificij huius exemplum eo versu comprehensum.

*Omnia reddo meo, qui præbuit omnia Remo.*

Qui bis supra trigesies multiplicatur, incipiendo à litera O maiori, quæ primi versus est initium, & prorsum, retrorsum, sinistrorum vsque legendo. Autor Albertus Monaris. Habetur in Amphitheatro Dornauij *tom. 1. serio-iocoso*.

373.

Aliud pium eoque magis adamandum, quod ad Deiparæ decus est confectum, adscribo, suppeditatum ab optimo Patre Alexandro Degletein. Inædificatarum verò his vocibus,

MATER







clausula carminis fieret. Atque hoc modo contigit, ut & ipse sexies diuersis modis legatur, & quatuor quadrangulos in epistola faciat; in quibus quadrangulis, quatuor nomina erectim posita leguntur; in duobus quidem *Otto*, & *Cesar*; in aliis verò *Abbo*, & *Abba*, quæ minio scripta, licet separatim hoc sonent, tamen cum aliis versuum literis in ordine rediguntur. ] Subiicitur deinde in actis ipsum carmen stylo Porphyriano operose concinnatum, sed magna ex parte mutilum. Hæc cum ita sint, non video quomodo Lilius Gyraldus *lib. de sui temporis Poëtis*, autorem versuum anguineorum primum, statuat Rabanum, & post eum Lancium, Curtium. Nam utroque anterior, fuit Porphyrius.

Hæc sunt varia artificiorum Cabalisticorum paradigmata. Manifestè igitur monstratum est, negotiationes aliquas Cabalisticas, posse vitio vacare: nec libros quosuis Cabalisticos posse suffixioni patere. Quamuis nisi mixturas, de quibus præmonuimus euitent, iure improbentur. Monstrat nitorem illum aliquarum Cabalisticarum negotiationum, *Marsilius Columna sect. 2. hydragiol. c. 3. à n. 49.*

## EROTEMA XIV.

*Libræne aliqui Scriptorum materialiter, aut formaliter hæreticorum, in hoc ordine?*

375. **L**ibros quoscumque hæresibus inquinatos, malos esse habendos, liquet. At sunt tamen aliqui libri hæresibus sordentes, vel etiam scatentes, &, (quod non est infrequens,) ad hæresim stabiliendam conscripti, quos non esse noxios, atque adeò non esse configendos; proindeque ad ordinem in quo versamur, pertinere, quilibet facillè dederit. Possum in hunc ordinem referre libros quorundam non nisi materialiter hæreticorum; hoc est, quorundam Patrum, in quibus ante definitam ab Ecclesia veritatem aliquam, contigit eos contraria veritati Catholicæ affirmare. de quibus à Hieronymo *ad Furiam* dicitur. [Post Scripturas, doctorum hominum tractatus lege, eorum duntaxat, quorum fides nota est. Non necesse habes, aurum in luto quærere. ]

*Libri quidam Patrum sordentes materialibus erroribus, retinendi.*

376. Hos ergo libros, nemo est qui dubitet retinendos, quamuis cautio ne quis impingat, adhibita iam olim sit à Gelasio Pontifice, *cap. sancta Romana, dist. 15.* non ut libri ipsi penitus premerentur ac perderentur, sed ut imprudens lector fucum sibi fieri ab autoritate viri sancti non sineret. Sic Sancti Irenæi, doctissimi planè scriptoris operibus, millenarij assertio inspersa legitur; neque tamen Irenæum idcirco quis improbatæ lectionis esse velit. Sic splendidissimum Ecclesiæ iubar S. Cyprianus, impegit materialiter, quoad hæreticorum anabaptismum, quem variis locis adeò apertè docet, ut non sit tergiuersationi locus. Nemo tamen eius operibus incendium idcirco decernat, ob frequentes illas  
cum